



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propugnaculum: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Antistites Æthiopiæ n. 29

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

Societas
ignorantiæ
tenebras
illuminans.

Præclara
virtute,
literis, &
exemplis.

Eius filij
Apostolis
quam sim-
illimi.

Ridicula
Hæretico-
rum in
nostros ca-
lumnia.

Acute red-
arguta à
Seccouienfi
Episcopo.

Viri mira-
biles Iesui-
tæ ad ho-
mines con-
uertendos.

Vel ipsum
Turcam.

28. A GAVINO MANCONI Episcopo Alenfi in Sardinia ser. in Canonizat. S. Ignatij fol. mibi 60. vocante Societatem, Religionem ignorantia tenebras illuminantem. Et fol. 64. Singularissimam: & fol. 65. Præclaram, doctissimam, prudentissimam, nobilissimam exemplo, virtute, literis: & fol. 68. Electam à Deo, & IESV.

29. AB ANTISTITE ÆTHIOPIÆ: Qui visis inibi Societatis Hominibus dicebat, se affirmare id certo posse, vidisse se viros Apostolis quam simillimos, qui ea solum quærent, quæ Dei sunt, non quæ hominum, aut quæ sua. Ita in Imag. I. sec. Societ. lib. 5. cap. 12. fol. 681. Ex Annalibus Æthiopiæ ann. 1607.

30. A SECCOVIENSI: Dum haberetur Græcij Prouincialis Styriae conuentus, agereturque à Nostris de stabiliendo, & corroborando Societatis Collegio, ab Hæreticis vehementer certatum, qui nisi inde IESVITÆ pellantur, negant in bellum Turcicum se pecuniam collaturos, nec quidquam attulere, quod criminis speciem haberet, sed id dumtaxat vniuersè: Nullam se bonam fortunam post eorum aduentum expertos: imo ob receptos eos, apparere, & Deum, & Turcas iratos. Quæ cum dicerentur non desuit, qui inepto ioco, seu per socordiam diceret id factu optimum fore, si Iesuitæ ipsi mitterentur ad Turcas. Quo loco Seccouienfis Episcopus stultum dictum irridens: Profecto (inquit) Domini Prouinciales non bene sibi consulant hoc modo. Nam si Iesuitæ, qui sunt viri mirabiles, & plurimum valent ad homines conuertendos mittantur ad Turcam, nihil habebitis certius, quàm fore, vt conuertant eum ad fidem Papisticam. Quod si fiat, malum capitibus vestris. Idcirco magis expedit vobis, vt vestros verbi Ministros ad eum mittatis, qui persuadeant illi Lutheranismum vestrum: atque tum vobis Turca erit clementior, & vobiscum contra Iesuitas pugnabit. Quæ in tempore dicta, cumque multorum risu excepta, aduersarijs pudore suffusis, quavis seuerâ oratione grauius calumnias diluere: vt iam ipsosmet pigeret, puderetque incepti. Ita Par. 4. Hist. Soc lib. 3. num. 111. & 112.